

nis, simpliciter in subiecto continentur, et in illo educuntur: et idem est de motu et forma violenter inducta; licet enim subiectum resistat, tamen in potentia continet talem formam, vel quia ex parte materiae non est repugnantia ad illam, licet sit ex parte formae; vel quia agens violentum, subicit sibi materiam, et vincit ejus resistantiam, qua victa, educitur forma, quia jam non resistit.

Ad secundum respondetur, quod ut propria passio dicatur educi, non requiritur, quod in ipsa essentia, cujus est propria passio, praecedat privatio, quia non educitur ex illa, sed praecedit privatio in materia, seu subiecto, ex quo fit, et educitur illa forma, seu natura, ad quam sequitur propria passio; haec enim sicut non est producibilis alia actione, qua illa quae est productiva naturae, ita privatio ejus est adjuncta privationi ipsius naturae, seu formae, a qua resultat.

Restabat disputare in praesenti quaestione illam celebrem, an plures formae possint esse simul in eadem materia. Sed de ista quaestione agemus infra tractando, an plures causae totales possint causare eundem effectum.

QUAESTIO V.

DE PRIVATIONE.

ARTICULUS PRIMUS.

Quid sit privatio, ut est principium entis naturalis?

Supponendum est, privationem in communi loquendo importare carentiam alicujus formae in subiecto apto, seu capacitatis formae, per

quod distinguitur a simplici negatione, quae dicit carentiam formae absolute sine capacitate subiecti ad ipsam, sicut lapis habet negationem visus, non privationem, animal autem caecum, dicitur habere privationem visus. Et privatio rigorose loquendo, dicitur, quando subiectum est capax formae privatae secundum speciem infimam: dicitur vero lato modo, quando est capax illius solum ratione generis, et non ratione speciei, sicut talpa dicitur caeca, licet sua species non sit capax visus, sed solum genus illius, quod est animal, de quo videri potest D. Thomas I part. quaest. xxxiii, art. iv ad 2, et v Metaph. lect. xx.

Consulto autem non dixi, privationem esse carentiam in subiecto, cui debetur forma, sed quod est capax formae, ne implicarem multis difficultatibus, quae de hoc debito versantur, an videlicet requiratur debitum proximum, vel remotum, physicum vel morale juxta connexionem naturae vel moralis ordinationis. Modo autem solum loquimur de privatione physica, ad quam sufficit debitum capacitatis, seu aptitudinis subiecti ad aliquam formam, non debitum connexionis necessariae, vel dimanationis. Nec requiritur ad privationem quod aliqua forma sit debita alicui, vel aliquid sit capax illius sub omni consideratione et statu, sed ratione alicujus principii sibi connaturalis, sicut aqua habet privationem caloris, vel formae ignis ex parte materiae, non ratione suae speciei, et actus peccati habet privationem bonae regulationis, non ex parte suae speciei, ut sumitur ab objecto, sed ratione libertatis, et ut procedat a principio libero; sic enim debetur ei recitatio, id est, subiectio ad regulas moris.

His suppositis, restat circa privationem in particulari, ut est princi-

pium entis naturalis, inquirere in hoc articulo aliquas difficultates, quae tangunt ejus quidditatem, et in sequenti ea quae tangunt ejus multipliciter in materia. Primo ergo inquiri potest, quomodo privatio intelligatur esse principium entis naturalis in fieri, et per modum termini a quo, cum talis privatio ante instans generationis non invenitur, nisi remote, et cum impedimento ad formam oppositam habendam propter formam, quam tunc habet, et sic non est immediate capax formae generandae; in instanti autem generationis, in quo est verum dicere, nunc est forma genita, jam est falsum dicere, nunc est privatio, et sic nec ante instans generationis, nec in ipso instanti, vel post, datur rigorosa et determinata privatio.

Confirmatur, quia materia potest esse magis vel minus expedita, vel impedita ad aliquam formam suscipiendam, sicut materia sub forma lapidis magis impedita est a forma equi, quam sub forma sanguinis, quae magis ad formam equi appropinquat. Ex quo sequitur, quod materia ut est sub una forma, non est debita alia, nec appetit illam, quia est impedita. Si autem aliam appeteret, conaretur ad aliam; et recederet ab ea quam habet, et sic quamdiu in illa maneret violentaretur, quia frustraretur suo conatu et appetitu ad aliam; unumquodque enim violenter est, quamdiu est in privatione ejus, quod naturaliter appetit, et impeditur a consecutione ejus. Et deinde sequitur, quod privatio materiae suscipiat magis et minus, secundum quod est magis vel minus elongata, et impedita respectu alicujus formae, hoc autem est contra rationem privationis, quae est in materia; privatur enim in facto esse aliis formis, ut quando homo est mortuus, privatur anima

in facto esse: ut docet D. Thomas I-II, q. lxxiii, art. ii. Denique, si materia habet privationem formarum, quas non habet quia potentialiter et remote se habet ad illas: ergo etiam habebit privationem formarum, quas habuit et perdidit, cum tamen respectu illarum non habeat capacitatem, quia non est potentia in natura ad ponendum illas in materia.

Respondetur, non esse dubium, quod in materia habente unam formam, detur privatio aliarum, quarum est capax, et ad quas habet appetitum, quia est in potentia ad alias formas, dum unam habet in actu; non propter fastidium ejus quam habet, nec propterea quod plura simul habere velit, sed propter illam potentialitatem ad plura; ut dicit D. Thomas I Phys. lect. xv. Igitur ante instans generationis, et ante ultimam dispositionem datur ista privatio formarum in materia, quia illarum est capax, nec a dispositionibus habet istam capacitatem, et privationem, sed per dispositiones applicatur, et determinatur ad recipiendam istam formam potius quam aliam. In instanti autem generationis privatio ipsa formae, quae tunc generatur in materia, intelligitur non quantum ad durationem, et instans reale, in quo potius solvitur a forma opposita, sed quantum ad prioritatem naturae, quatenus praecedit terminus a quo terminum ad quem, non in esse, sed in expelli, sicut ipsa forma corrupta in illomet instanti generationis expellitur, et licet sit prior forma genita in genere causae formalis, corruptio et expulsio formae praecedentis est prior in genere causae materialis, quae non est prioritas in existere, sed in expelli. Eodem modo se habet privatio in illo instanti, quia se tenet ex parte termini a quo.

Ad confirmationem respondetur,

quod materia de se habet privationem determinatam omnium formarum, quibus determinate et de facto caret, quod vero sit magis vel minus impedita ad istam formam, vel ad illam, nec auget, nec minuit appetitum, nec privationem magis vel minus determinat, sed diversimode ponit applicationem circa consecutionem talis vel talis formæ, sicut lapis quantumcumque sit impeditus, non remittit aliquid de appetitu ad centrum, nec de privatione illius.

Nec ex hoc sequitur, quod materia prima appetat recessum a forma quam habet, ita quod patiatur violentiam, si ista non expellatur, quia etiam ad istam, sub qua est, habet connaturalem appetitum, licet non adæquate ad istam, sed etiam ad alias, et ideo non violenter deriveretur in ista, quia connaturalis illi est, et habet appetitum ad alias quia adequata illi non est, sed quia simul utramque habere non appetit expulsionem illius ex suppositione quod alia introducat. Similiter ad secundum inconveniens dicimus quod privatio formæ in materia est privatio in facto esse, quia est privatio formæ substantialis, quæ est ultima respectu omnium dispositionum, et sicut forma constituit rem in facto esse, ita privatio illius, est privatio in facto esse, sola autem privatio dispositionum seu formarum tendentium ad aliquam ulteriorem formam dicitur privatio in fieri, et non in facto esse juxta regulam D. Thomæ I-II, q. LXXIII, art. II, et hæc sola privatio in fieri suscipit magis et minus, non autem in facto esse, qualis est privatio formæ substantialis. Quod vero materia sit magis vel minus impedita ad receptionem alicujus formæ, non variat privationem illius secundum magis vel minus, sed reddit magis vel minus dispositam, seu applica-

tam materiam ad istam formam vel illam, et privatio hujus dispositionis, seu applicationis suscipit magis vel minus.

Ad ultimum respondetur, quod materia quantum est ex propria habitudine, et secundum se eandem capacitatem habet ad formas, quas semel perdidit, et ad formas, quas nunquam habuit, sed tamen quantum ad introductionem et applicationem, quæ fit mediante agente, non eodem modo se habet ad formas semel perditas, et ad illas quas non habuit, quia non potest agens creatum reproducere formam amissam; et tamen si de facto reproducatur a Deo, naturaliter materia ab illa informabitur.

Secundo inquires: Quomodo explicanda sunt duo dicta Aristotelis circa privationem; alterum est, quod privatio sola ratione distinguitur a materia, ut affirmat Philosophus text. LX et LXIX, sic enim entitative erit idem cum materia, atque adeo entitative erit ens reale. Alterum est, quod privatio est principium per accidens, ut affirmat text. LXVI, sic enim non dependebit ab illa per se ens naturale, nec privatio erit univoce principium, quæ autem sunt per accidens, omittuntur ab arte.

Ad primum respondetur, quod privatio dicitur distingui ratione a materia, quia in se non est ens reale, sed rationis, et sic non est extremum realis distinctionis, et tamen quia non est omnino idem cum materia, ut dicebat Plato, dicitur ratione distingui. Nec sequitur, quod entitative sit idem cum materia, si sola ratione distinguitur, hoc enim non est verum, nisi quando utrumque extremum est positivum, et tamen non distinguitur ab altero, si autem extremum sit negativum, non distinguitur realiter ab alio, nec tamen identificatur cum illo entitative, quia entitas non est.

Ad secundum jam supra respondimus, q. II, quod privatio non est principium per accidens respectu generationis et fieri, sed respectu compositionis, vel potius respectu extremi componentis, quod est materia, cum enim in ipsa subiectetur privatio, per accidens est in materia ut componente, quod habet adjunctam privationem, vel habuerit; nec enim privatio ad componendum conducit, sicut statua fit per se ex ære, per accidens autem ex carentia figuræ, seu ex ere ut in figurato. Sicut autem non est inconveniens, quod principium dicatur analogice de corde, et de fonte, et de fundamento, quia *ly principium* non significat aliquam naturam communem omnibus principiis, sed modum originandi; ita non est inconveniens, quod principium dicatur analogice de privatione, et materia propter diversum modum principiandi extrinsece, vel intrinsece, ut ens, et ut negatio.

ARTICULUS II.

Utrum in materia sit tantum una privatio, vel plures?

De pluralitate, vel unitate istarum privationum non solum est difficultas, an sint plures privationes, secundum speciem, vel una tantum, sed etiam secundum numerum, an scilicet sint tot privationes numero, quot formæ sunt privatae, an vero sufficiat unica privatio ad privandum omnibus formis in una materia.

Res ista non est magni momenti, nec enim multiplicatio privationum aliquod habet inconveniens, cum nihil ponat in subiecto, sed tollat, unde sicut non est inconveniens, quod plures formæ absint a subiecto, ita etiam quod sint plures nu-

mero privationes, quia nihil aliud est privatio quam absentia, seu carentia formæ, et sic privationes potius individuuantur, vel multiplicantur ex formis privatis, quam ex subiecto. Et concordat D. Thomas, qui loquens de macula peccati I-II, quæst. LXXXVI, art. I ad 3, dicit, quod diversa peccata diversas maculas inducunt, cum tamen privationes sint, et constat quod possunt dari plures maculæ ortæ ex peccatis numero distinctis, et sic dari plures maculas in eodem subiecto, ex iteratis peccatis numero distinctis; non ergo ex unitate subiecti sumitur unitas privationum.

Ex quibus respondetur ad difficultatem propositam, tot esse privationes in qualibet materia quot sunt formæ, quibus caret. Patet ex dictis, quia tot sunt absentia formarum, quot sunt formæ absentes; nihil autem aliud est privatio seu carentia, quam absentia formæ in subiecto capaci. Et deinde, quia eo modo possunt multiplicari privationes, quo potentia materiæ ad suscipiendas formas, cum privatio in ipsa capacitate et potentia fundetur, sed in materia multiplicatur ista capacitas, seu potentia respectu formarum, ut docet S. Thomas I Physic. lectione xv, ubi inquit: « Quod potentia materiæ subiecto est una respectu multarum formarum, sed ratione sunt multæ potentia secundum habitudinem ad diversas formas, unde in tertio hujus dicitur, quod posse sanari, et posse infirmari, differt secundum rationem; » ergo si ad multiplicationem formarum multiplicatur inclinatio, seu potentia ad ipsas secundum respectum et habitudinem, multo magis carentiæ et absentia formarum multiplicabuntur ad multiplicationem earum. Nec tamen sicut potentia materiæ dicitur una subiecto, seu entitative, licet respective

sit multiplex, ita privatio dici poterit una subjecto, seu entitative, quia privatio nihil positivum importat, aut entitativum, sicut potentia materiae, ratione cuius identificetur, et reddatur una ratione subjecti, sed dicit solam carentiam formae, et sic multiplicatur ad multiplicationem formarum, potentia vero, quia identificatur, positive et entitative cum materia, ut supra diximus, ideo redditur una ratione subjecti.

Dices: Privatio in materia negat omnem rationem actualitatis, sive entitativae, sive formalis, ut supra diximus, quaest. III, ergo unica privatio sufficit ad omnes formas, quia ratio formalis negata unica est, sicut etiam specifica, et formalis ratio potentiae, seu appetitus materiae unica est respectu omnium formarum, quatenus in illis appetit esse substantiale corruptibile. Confirmatur, quia una relatio, verbi gratia paternitatis, sufficit ad plures filios potestque tolli extensive, seu terminative ad unum, licet non quoad aliam; ergo similiter una privatio sufficit ad plures formas, quando sub eadem ratione privantur. Et idem exemplum potest fieri in unico habitu extendere se ad plures conclusiones, licet in se unica entitas sit.

Respondetur, esse diversam rationem, de privatione, et de potentia, seu appetitu, vel aliis positivis tendentibus ad objecta, nam privatio comparatur ad formam, ut absentia, seu carentia illius, absentia autem non correspondet formae, secundum tendentiam ad ea circa quae versatur, sed ipsi praesentiae, seu inhærentiae, quam habet in subjecto; hæc autem multiplicatur ad multiplicationem formarum, sicut carentia seu absentia, et ideo tot sunt praesentiae quot formae praesentes, et similiter tot carentiae, seu absentiae.

et privationes quot formae absentes. Cæterum ex alia parte formae, sive potentiae, aut virtutes tendunt positive ad terminos, seu objecta circa quae versantur, quod non habet privatio, et ex hac parte potest potentia, seu virtus unica existens ad plura se extendere, quia ipsa ratio tendendi, seu operandi simili modo invenitur in multis terminis, seu objectis solum materialiter diversis, et ideo una virtus sufficit pro pluribus operationibus seu terminis, ubi similis ratio attingendi invenitur; nec enim pro quolibet termino, seu operatione ponenda est distincta virtus; tamen pro pluribus formis absentibus non est ponenda una solum absentia sed privatio. Et sic patet ad exempla in confirmatione alata.

Secundo dices: Nam in qualibet materia non est privatio ejuscumque formae, quia non quilibet materia est capax ejuscumque formae; v. g. materia unius grani non est capax formae elephantis; ergo non omnis materia est privata quacumque forma. Respondetur omnem materiam esse capaceam ejuscumque formae, mediate, vel immediate, totaliter vel partialiter, sicut materia formicæ, vel lapidis sub illis dispositionibus non est capax formae hominis, vel elephantis, sed sub aliis dispositionibus, quarum dispositionum capax est. Quod si tam parva quantitas ut granum non est capax totius formae elephantis, est tamen capax ut sit pars illius, et sic informari potest ab ejus forma.

QUÆSTIO VI.

DE TOTO COMPOSITO SUBSTANTIALI.

Post considerationem principiorum componentium ens naturale, sequitur agere de ipso composito, in

quo tria considerari possunt. Primo, ipsae partes secundum se, aut simul conjunctae. Secundo, ipsa unio, qua partes connectuntur, et fit totum. Tertio, ipsi modi qui proprie conveniunt ipsi toti, sicut subsistere et existere, et fieri, quod proprium est suppositorum seu entis completi. Et de primis duobus, quae pertinent ad ipsam compositi constitutionem agemus in hac disputatione, de tertio in sequenti.

ARTICULUS PRIMUS.

Quae sint partes substantiales componentes totum?

Varias acceptiones totius tradidimus lib. II sum. cap. de divisione. In praesenti solum agimus de toto Physico omissio Metaphysico, et potentiali, et universali. Ipsum autem totum Physicum aliud est substantiale, aliud quantitativum, seu aliis verbis totum essentiale, et totum integrale; dicitur enim totum relative ad partes, et sic respectu partium substantialium, quae sunt materia, et forma, dicitur totum Physicum substantiale, seu essentiale; respectu autem partium quantitativarum, dicitur totum quantitativum, seu integrale. Dicuntur autem partes quantitativae illae, quae ita sunt partes, quod possunt esse totum, si separentur, et ideo Aristoteles in V Metaphys. cap. de quanto diffinit quantum: *Quod est divisibile in ea, quorum unumquodque hoc aliquid natum est esse.* Partes autem substantiales, seu essentiales physicae ita sunt partes, quod non possunt esse totum, sed semper sunt entia incompleta; sicut materia et forma. In praesenti solum agimus de toto Physico substantiali, in sequenti quaestione de quantitativo.

Illud ergo breviter explicandum est, an utrumque scilicet materia et forma, sit pars essentialis, et per se compositi substantialis: nam aliqui de materia dubitaverunt, an esset pars essentialis compositi totam rationem quidditatis soli formae tribuentes. Alii vero dubitaverunt de forma, non propter imperfectiorem ejus, sed quia tantum habet perfectionis, quod adaequat, vel superat perfectionem totius, eo quod forma est ens actu, et praebet esse toti composito tanquam causa illius: causa autem est perfectior effectu, et propter quod unumquodque tale, et illud magis, propter formam autem totum est in actu; ergo forma magis est in actu.

Nihilominus dicendum est, totum physicum constare ex materia et forma tanquam ex partibus substantialibus, et per se. Est communis Philosophorum, deduciturque ex Aristotele VII Metaphys. text. XXXIII, et VIII Metaphys. text. XIII, ubi videri potest D. Thomas et I par. quaest. LXXV, art. IV. Et ratio est manifesta, quia ens naturale, de quo agimus in praesenti, est corporeum et materiale; ergo non potest esse simplex, sed compositum. Consequentia patet, tam in rebus corruptibilibus quam incorruptibilibus: corruptibile enim debet esse compositum, quia corrumpitur, et non annihilatur; ergo non tota substantia desinit, sed aliquid illius manet, alioquin si totaliter desineret, non desineret ex vi alicujus generationis et sic tolleretur omnis generatio, et corruptio; si autem aliquid illius manet, et aliquid amittitur, ergo jam habet partes, ex quibus componitur, et istas vocamus materiam et formam; forma enim est quae desinit, et materia sub alia forma permanet. In corporibus autem incorruptibilibus non potest sola forma constituere totam essentiam sine materia, quia si sine materia

constitueret, esset tota essentia cœli sola forma: ergo esset immaterialis, quia sine materia esset tota constituta in sola actualitate formæ, essentia autem immaterialis hoc ipso est spiritualis et intellectiva; spiritualitas enim idem est quod immaterialitas, et sic secundum totam essentiam cœlum non esset corporeum, cuius oppositum videmus, cum sit quantitativum. Et quia istæ partes, scilicet materia et forma, non sunt in se quædam tota subsistentia, sic enim non componerent ens per se, sed quoddam aggregatum per accidens, nec sunt tales partes, quod per separationem possunt fieri quædam tota, sic enim essent partes integrales, sequitur manifeste quod per se et essentialiter sint partes tanquam entia incompleta.

Ad fundamentum supra insinuatam, quod causa potior est suo effectu, respondetur, id non esse verum de omnibus causis entitative consideratis, ut infra qu. x, dicemus; causa enim materialis non est perfectio forma absolute et entitative, cum actuatur et perficiatur simpliciter ab ipsa, ut ibi dicemus. Et quando dicitur, quod totum habet esse et actualitatem propter formam, respondetur, quod habet actualitatem propter formam tanquam propter principium *quo*, non *quod*, et ideo non sequitur, quod forma sit magis perfecta in actu denominativo, et ut *quod*, quia illud principium *propter quod unumquodque tale*, etc. intelligitur in his, in quibus est denominatio similis, et ut *quod* est tale, ut expendimus in Logica qu. xxv, in libris Poster.

Dices: Materia non potest essentialiter pertinere ad ipsum compositum in rebus generabilibus, quæ sunt in perpetuo fluxu, et motu partium, sicut in homine non invenitur eadem materia, quæ fuit in illo ante

triginta annos, cum per actionem calor sit consumpta, et alia subrogata; ergo materia determinata non potest esse de essentia intrinsece determinati compositi, v. g. huius individui, vel si semel pertinet materia determinata ad essentiam determinati compositi, quoties contingit variari illam materiam, quomodocumque fiat variatio variabitur ipsum totum, cuius determinatio dependet ex determinatione partium. Confirmatur, quia potest materia pertinere ad constituendas diversas species, ut quando materia transit in speciem cadaveris, vel cadaver in speciem terræ, vel ignis, est autem inconveniens, quod eadem pars essentialis unius speciei pertineat ad aliam; imo materia unius individui potest ad aliud pertinere, ut si unus homo comedat de carnibus alterius. Si ergo materia pertinet ad constitutionem hominis, quomodo in utroque homine resurget illa materia.

Respondetur, quod unitas determinata materiæ pertinet ad constitutionem et unitatem totius, sed aliter in rebus corruptibilibus, aliter in incorruptibilibus; in rebus enim incorruptibilibus requiritur, quod sit eadem materia formaliter, et materialiter; in rebus autem corruptibilibus, sufficit, quod sit eadem formaliter tantum, de qua distinctione videri potest D. Thomas iv contra Gentiles, c. lxxxii ad 4, dicitur materia formaliter eadem, quando manet sub eadem habitudine et ordine partis, puta sub eadem figura et dispositione, et continuatione ad formam; materialiter autem est eadem materia quando entitative non mutatur, et non solum continuatione est eadem, id est, succedendo sub eadem dispositione et habitudine. Sufficit ergo ad unitatem determinatæ materiæ constituentis totum, quod maneat determinate eadem

formaliter, et sub eadem continuatione et successione ad præexistentem materiam, licet materialiter non maneat eadem; si autem non continetur, sed simul tollantur omnes partes materiæ, et alia in integrum subrogetur, non dicitur manere idem compositum. Ratio sumitur ex D. Thoma, i part. quæst. cxix, art. 1 ad ultimum, quia quando materia consumitur per fluxum et continuationem cum alia, id quod additur transit in præexistens. Unde ratione continuationis cum præexistente taliter deperditur præexistens, quod semper remanet aliquid illius, scilicet id, quod superadditur, quatenus ipsa continuatione factum est aliud illius, id est, pars illi continuata, hoc enim est transi.e in præexistens. Quando autem totaliter una materia tollitur, et alia totaliter subrogatur, ista quæ de novo ponitur, nec continuatione, nec identitate est aliquid præcedentis, et sic nihil remanet alterius materiæ præcedentis, sed tota destruitur, et sic fit aliud compositum numero.

Ad confirmationem respondetur, non esse inconveniens, quod eadem materia possit successive pertinere ad diversas species tanquam pars, quia in potentia est ad omnes illas, ut diximus quæst. iii, art. iv, licet retineat eandem entitatem potentialem, quatenus est in potentia ad omnes formas, cum quibus diversas species naturales potest componere. Quod vero additur de duobus individuis habentibus eandem materiam, respondetur, non posse eandem totalem materiam pertinere ad duo individua, nec transire totaliter de uno individuo ad aliud, verbi gratia, quod ex uno homine tota materia transeat ad generandum alium hominem, et ei totam materiam præbeat, bene tamen potest partialiter pertinere, quatenus ex carne unus hominis potest aliter nutriri: et in

hoc casu dicit D. Thomas in addit. quæst. lxxx, artic. iv ad 3, quod supposito, quod alimenta transeunt in veritatem humanæ naturæ: «Unumquodque in illo resurget, in quo magis accessit ad perfectam participationem, et constitutionem speciei. Et si æqualiter in utroque pertinuit, resurget in illo, in quo primo fuit: et ideo si in carnibus comestis fuit aliqua superfluitas, quæ non pertineret ad veritatem humanæ naturæ in primo, resurgere poterit in secundo, alias illud quod pertinuit, et habuit ordinem ad resurrectionem in primo, resurget in eo, et non in secundo, sed in secundo loco ejus sumetur, vel aliud de eo quod ex aliis cibis in carnem conversum est, vel si nullo alio cibo unquam pastus fuisset, nisi carnibus humanis, Divina virtute aliunde supplebitur, quantum indigebit ad perfectionem quantitatis, sicut etiam suppletur in illis, qui ante perfectam ætatem decedunt, nec per hoc præjudicatur identitati in numero, sicut nec præjudicatur per hoc, quod partes secundum materiam fluant, et refluant.» Ita D. Thomas.

Denique objicies: Quia forma est totum distinctivum rei, cuius est forma, ergo totum constitutum, similiter est tota ratio essendi et operandi; ergo est tota ratio constituendi. Unde Aristoteles n Physicor. text. xx, appellat formam: *Quod quid erat rei*, id est, quidditas illius; ut omittam artificialia; quorum totum esse consistit in forma, et tota substantia in materia, ut sæpe docet Aristoteles et D. Thomas.

Respondetur, quod forma est totum distinctivum, et ratio essendi, et operandi ut *quo*, non ut *quod*; unde non est totale, et adæquatam constitutum ipsius compositi: nam hoc ipso, quod compositum est, non sufficit sola forma, licet sola

sit principium quo ipsius quidditas, sed requiritur etiam aliud extremum cum quo componat. Aristoteles autem appellat formam, quod quid erat esse seu quidditatem rei ut *quo*, non ut *quod*. Artificialia autem sunt quaedam composita accidentaliter, in quibus quidditas accidentaliter non est quidditas per se, et ideo non habet subjecta tanquam partem essentiali sui, sed ut præsuppositum, cui forma accidentaliter advenit, non cum quo per se componit.

ARTICULUS II.

Utrum totum distinguatur a partibus simul sumptis?

Sensus quæstionis est: An partes non solum divisæ et separatæ, nec solum una ut connotat alteram, sed omnes ut simul unitæ distinguantur ab ipso toto, quod componunt. Itaque nomine partium simul sumptarum intelligimus, non solum partes quoad entitatem earum, sed etiam quoad unionem: nomine autem totius non intelligimus suppositum, quod ratione subsistentiæ constat distinguere ab ipsa natura composita ex partibus, sed intelligimus compositum, id est, naturam ipsam totalem, quæ constat ex partium unionem, et inquirimus, an istud totum sit aliqua tertia realitas resultans ex partibus simul unitis, an vero non sit alia entitas quam ipsæ partes simul sumptæ.

Duplex est sententia, altera affirmativa, cuius totum fundamentum ad duo fere capita reducitur. Primo, ad causalitatem realem, quia partes tam secundum se, quam unitæ realiter causant ipsum totum, ergo totum est aliqua entitas ab illis realiter distincta. Consequentia patet, quia ubi est realis causalitas, est

realis distinctio, nihil enim causat se ipsum. Antecedens vero constat, quia totum essentialiter componitur ex partibus, et ab illis dependet in sui compositione et esse, ergo causatur ab illis tanquam a causis intrinsece componentibus, et non causatur a partibus, nisi prout simul unitis et applicatis, ergo ab illis ut unitis distinguitur. Confirmatur, quia unitas totius per se causatur ex unione, et ita partes ut causantes non habent unitatem, sed unionem: totum autem habet unitatem; ergo sic distinguitur totum a partibus sicut unitas ab unione; unitas autem opponitur multipliciati: unio autem pluralitatem supponit; ergo unitas distinguitur ab unione, seu partibus unitis.

Secundum fundamentum est: Quia multa conveniunt toti, quæ non partibus simul sumptis, ut patet manifeste in homine, in quo subjectantur accidentia corporea, et non in sola materia, quia ipsa non est subjectum accidentium in sententia S. Thomæ ut in lib. de generat. dicitur, ergo subjectantur in toto, si ergo totum distinguatur a partibus simul sumptis, necesse est quod illa accidentia etiam subjectentur in anima, quia non in sola materia, et sic in aliquo spirituali subjectantur. Deinde, quia propriæ passionis non a partibus dimanant, sed a toto, nec partes dicuntur operari, sed totum, nec fieri aut generari, sed totum, quia ipsum totum est terminus generationis, non partes, præsertim in homine in quo utraque entitas, scilicet tam anima, quam materia, sunt per creationem. Nec dici potest, quod unio est terminus generationis, quia terminus specificans generationem non est aliquis modus, sed entitas ipsa substantialis; ergo si tota entitas partium in homine est per creationem, non potest dari terminus generatio-

nis, nisi entitas aliqua distincta a partibus.

Denique confirmatur, quia totum per aggregationem, ideo est ens per accidens, quia non habet aliam unitatem, quam suarum partium unionem, ex qua non resultat tertia unitas, seu entitas; ergo totum quod est per se, oportet quod distinguatur a partibus ut unitis. Favet etiam Aristoteles I Met. text. xv. ubi inquit: « Quod totum non est aliquid præter partes. » et v Met. text. xvii: « Quod sex non sunt tria, » et XII Metaph. text. xiv: « Quod materia, forma, et compositum sunt tres substantiæ. »

Nihilominus opposita sententia communis est inter recentiores, et sine dubio videtur esse D. Thomæ in addit. ad III par. q. lxxxix, art. II ad 2, ubi inquit: « Quod verior opinio videtur, quod forma totius non est forma partis tantum, nec est forma aliqua alia præter formam partis, sed est totum resultans ex compositione formæ et materiæ comprehendens in se utrumque: » et idem docet contra Gent. c. lxxxii, ubi inquit: « De humanitate non est intelligendum, quod sit quædam forma consurgens ex conjunctione formæ ad materiam, quasi realiter sit alia ab utraque, quia cum per formam materia fiat hoc aliquid actu, » ut dicitur secundo de Anima, text. ix: « Illa tertia forma consequens non esset substantialis sed accidentaliter. » Ubi S. Thomas supponit, quod verissimum est, quod illa tertia forma resultans ex partibus, quæ dicitur totum, actualiter et perficit ipsas partes: nec enim disparate se habet ad illas nec per accidens, sed cum connexionem, et perseitate, alioquin non diceretur unum per se illud totum sic resultans ex illis partibus, si connexionem cum illis non habet. Si autem cum illis connectitur, non comparatur ad illas, ut ali-

quid minus perfectum, et perfectibile per partes, sed ut perficiens et actus illas, cum sit illis perfectus. Cum autem non actualiter dando primam actualitatem, hanc enim dat ipsa forma partialis, quæ informat materiam, consequenter nec primo, et per se constituit, nec dat primum et substantiale esse, quia supponit primum esse datum per formam, ergo dat esse accidentale.

Quod si dicas: Nam in partibus integrantibus, quælibet illarum est ens actu, et tamen non adveniunt accidentaliter, sed componunt unum esse substantiale; et similiter subsistentia advenit naturæ in actu, et tamen non efficit ens per accidens, sed unum per se; ergo doctrina D. Thomæ non subsistit, respondeatur partes integrantes esse ens actu per unam formam totius, quæ est omnium partium, nec enim quælibet pars habet suam formam, et ita trahuntur ad idem esse totius, non formam distinctam addunt: et similiter dicimus de subsistentia, quod illa non constituit naturam, sed terminat, ideoque non mirum, quod naturam supponat constitutam in actu, et sic illi adveniens aliquid accidentale non constituat, quia non affert movem esse super naturam constitutam, sed terminat et modificat ipsam naturam sub eodem esse, quod utique substantiale est. Itaque quæcumque ita se habent, quod licet adveniant enti in actu, tamen sunt sub eodem esse, quia vel modificent, vel integrant illud, cui adveniunt, non constituent ens per accidens, quia ita supponunt ens actu, quod non superaddunt illi principium novi esse, sed modificationem vel integritatem ejusdem, et sic communicant in eodem esse per se. Si vero aliquid se habeat per modum formæ constituentis, vel partialis, vel totalis, quia forma est

principium novi esse, si supponit aliam formam priorem, non advenit substantialiter, sed accidentaliter.

Ultimo confirmatur ista sententia, quia si daretur illa tertia entitas resultans ex partibus unitis, vel illa identificatur realiter cum partibus, vel illis unitur, licet non identificetur, vel nec unitur, nec identificatur sed seorsum se habet ad illas. Si primum ergo non distinguitur a partibus, siquidem identificatur cum illis. Si secundum, ergo vel ex illa unione entitatis tertiæ cum partibus resultat aliud tertium compositum, vel non. Si non resultat, cur ergo resultabit ex partibus prius unitis? Nec enim est ratio cur ex ista unione resultat aliquod tertium, et non ex alia, cum utraque unio ordinetur ad componendum totum. Si vero resultat aliquod tertium, dabitur processus in infinitum, nam etiam illud tertium debet iterum uniri cum ipsis, a quibus resultat, et sic resultabit aliud, de quo idem dicemus, et sic in infinitum. Si dicatur tertium, ergo illæ partes unitæ, et illa tertia entitas resultans non pertinent ad idem compositum, et ad idem totum, siquidem ea quæ nec uniuntur, nec identificantur, non pertinent ad idem compositum, quia non communicant inter se, nec constituunt unum, nam etiam accidens unionem requirit ut componat cum subiecto.

An vero totum, et partes sic unitæ distinguantur saltem ratione? Respondetur, totum distingui respectu cuiuslibet partis seorsum tamquam includens, et inclusum, respectu vero partium simul unitarum distinguitur ratione sicut implicitum, et explicitum, ad eum modum, quo se habent definitio, et definitum, quia definitio explicat partes, quas definitum implicat, sic etiam totum significat modo implicito, partes autem simul junctæ significant mo-

do explicito, id quod est totum. Et propter istum diversum modum significandi aliqua dicuntur attribui toti, quæ non partibus vel e contra.

Ad primum fundamentum in oppositum respondetur, quod partes dicuntur causare totum causalitate intrinseca, et constituente ipsum totum non extrinsece se habente, sicut etiam prædicata essentialia dicuntur constituere quidditatem. Causæ autem intrinsece non distinguuntur a causato entitative, quia non causant per emissionem alterius entitatis a se, sed per communicationem sui in entitate quam constituunt, sicut forma materiam informat communicando se illi, et iste est effectus formalis formæ, communicatio sui passiva, quæ entitative non distinguitur a forma se communicante, et sic est effectus realis, quatenus est realis communicatio sui. Vel etiam dicitur, quod in ista causatione totius etiam intercedit realis, et propria causatio ipsarum partium inter se; materia enim, et forma ad invicem sunt causæ, ut quæst. xi, dicitur, et distinguuntur inter se, et ex ista causatione reali resultat totum indistinctum realiter ab ipsis partibus, non tamquam immediate causatum, sed ut ex illa priori causatione partium inter se resultans, et hoc sufficit ad salvandam causationem realem, scilicet mediate.

Ad secundam probationem respondetur, quod unitas resultat ex unione partium tanquam unitas composita, et consequenter includens ipsas partes unitas, et sic idem dicendum est de unitate, quod diximus de entitate totius. Quod vero dicitur, unitatem opponi distinctioni, respondetur non opponi entitative, cum ex earum entitate constet unitas composita, et ex entitate rerum ipsa multitudo, sed opponitur

quantum ad divisionem, et indivisionem, ut dicit S. Thomas 1 p. q. xi, art. ii ad 2.

Quod si istes: Nam D. Thomas sæpe negat partes prædicari de toto, et ita totum non esse suas partes, sed ex partibus, ut in tertio, distinction. ii, qu. ii, art. iii ad ultimum, et in iv, distinction. xvi, quæst. i, articulo 1, quæstioncula iii ad 2, ergo sentit, quod totum distinguitur realiter a suis partibus, alias posset prædicari de illis, et e converso, respondetur, non prædicari partes etiam simul junctas de ipso toto, vel e contra, quia ad prædicationem non sufficit identitas unius cum alio, sed etiam requiritur modus significandi, ut ex D. Thoma 1 part. quæst. xxxix, probavimus in Logica, qu. v, et quia partes physice considerate non significantur per modum totius, sicut gradus metaphysice concepti, ideo prædicari non possunt de ipso toto, nisi forte materialiter et identice, dicendo, quod totum est res, quæ est suæ partes simul junctæ, et homo est res quæ est corpus et anima, et sic solum probatur, quod totum distinguitur a partibus formaliter per rationem propter diversum modum significandi, non vero realiter et entitative.

Ad secundum fundamentum respondetur, multa attribui toti, et non partibus propter diversum modum significandi, non propter diversas res significatas, et in particulari dicitur, quod in homine subjectantur accidentia in toto, ut in subiecto quod ratione materiæ tanquam subiecti quo, sicut visio convenit toti homini mediante oculo, quo visionem elicit, et recipit. Similiter passionem sicut resultans a toto, ita dicuntur resultare a partibus simul junctis identice et entitative, quatenus idem sunt cum toto, et similiter partes unitæ entitative sunt

terminus generationis, non quia tota illa entitas medianibus suis partibus generetur, cum nec materia generetur, nec forma in homine, sed quia ut unitæ et ad invicem communicatæ generantur; ideo dicitur quod generatur totum, non vero partes; et non est inconveniens, quod aliquid quod entitative identificatur cum alia, quantum ad unum generetur, vel resultat, non quoad aliud, sicut albedo entitative non distinguitur a similitudine quæ est relatio, et tamen potest generari, vel corrumpi similitudo, non generata vel corrupta albedine.

Ad confirmationem respondetur, quod totum per aggregationem ita dicitur plura, quod excludit unionem facientem illa unum per se, eo quod non constat actu et potentia; totum autem per se non dicitur tale ratione tertiæ entitatis distinctæ a partibus unitis, sed quia ipsæ partes ita inter se uniuntur, ut actus et potentia, quod simpliciter fit unum per se. Ad loca Philosophi dicitur, quod loquendo de toto substantiali, dicitur aliquid præter partes, seu quod est tertium subiectum distinctum a partibus non simul unitis, sed seorsum sumptis. Quando autem dicitur: *Quod his tria non sunt sex*, sensus est, quod numerus senarius ita differt specie a ternario, quod non solum est duo individua ternarii formaliter, sed species distincta ab omnibus ternariis, licet materialiter duo ternaria includat.

ARTICULUS III.

Quid sit unio partium in toto?

Nihil certius quam dari unionem, cum tam multa uniri videamus, quæ inter se dividi et separari solent: et Verbum Divinum univisse

sibi naturam humanam partesque humanitatis fuisse in morte separatas, et in resurrectione iterum unitas, absoluta fides est. Quid sit autem ista unio valde difficile explicatur, et cum constet de unione, quatenus est relatio unitorum, de fundamento talis unionis inquirimus: constat enim non fundari in ipsa entitate partium secundum se, cum constet ipsam entitatem partium sine unione salvari, ut cum anima Christi, et ejus corpus, et quaelibet anima hominis potest mortem entitative maneat sine unione. Querimus ergo, quid sit illud quod in partibus accrescit per modum nexus et conjunctionis, quo mediante partes ita se habent ad invicem, quod resultat talis relatio unionis? Quod si materia et forma se ipsis etiam immediate uniantur, seipsis etiam immediate causabunt, cum non videatur causalitas formae et materiae aliquid ab unione illarum distinctum, ut sequenti libro, quæst. II, dicitur. Et loquimur de unione, qua extrema adunantur in unum per se, non de unione per aggregationem, seu per accidens; plerumque enim talis unio fit per aliquam propinquitatem in loco, et per hoc quod res fiant contiguae, non continuæ et unitæ.

Est ergo sententia satis celebris, unionem esse aliquid superadditum formae et materiae, tanquam modum quemdam seu formalitatem, qua mediante fit nexus materiae et formae. In quo tamen Scotus in III dist. I q. I, §. de primo dico, et aliis locis, sequens sententiam suam de relationibus extrinsecis advenientibus, sentit unionem esse quid relativum de genere istarum relationum extrinsecis advenientium: et videri potest de hac sententia P. Fuente I Phys. q. V, diffic. II, art. I. Alii vero ut Suarez, I tom. III part. disp. VIII, sect. II et Vazquez I tom. III part. disp. XVI, c. I et plures ex

recentioribus etiam Thomistis existimant unionem in substantiis esse modum quemdam substantialem, et absolutum medio quo forma unitorum materiae, licet aliquid dicant ita esse modum absolutum, quod dicitur ordinem transcendentalem ad extremum unibile: et idem sequitur Durandus in III, dist. V, q. II, dicens, quod terminus Incarnationis est modus quidam realis, sicut inhærentia in accidente.

Et hinc sumitur primum fundamentum pro hac parte, quia inhærentia in accidente est modus quidam, quo redditur accidens unitum et inhærens ipsi subjecto; ergo accidens non unitur seipso immediate et idem erit de aliis formis quæ licet non sint dependentes sicut accidentia, tamen uniantur subjecto seu materiae, et pendunt ab illa, et sic mediante aliquo modo superaddito uniantur, non minus quam accidentia. Et confirmatur, quia materia et forma causant media aliqua causalitate, siquidem per suam entitatem solum sunt in actu primo, causare autem in actu secundo, accidentaliter illis convenit; ergo causalitas in actu secundo est aliquid superadditum entitati earum, et consequenter ad minus debet esse aliquis modus, sed causalitas ista fit media unione, per quam recipitur forma, et recipit materia: ergo unio aliquid superadditum est materiae et formae.

Secundum fundamentum est, quia unio sumpta pro relatione est accidens materiae et formae, nec enim semper in actu ista materia et ista forma sunt unite, oportet ergo quod istud accidens seu relatio superveniat materiae et formae, et distinguatur ab illis. Similiter fundamentum talis relationis non potest esse nuda entitas materiae et formae, alias posita utriusque entitate in rerum natura, statim resultaret relatio

unionis, quod patet esse falsum existente anima, et corpore separatis: ergo oportet, quod fundamentum proximum hujus relationis sit aliquid superadditum ipsi entitati materiae et formae, et hoc vocamus modum unionis. Et hujus signum etiam est, quod sub eadem forma, v. g. anima rationali diversæ partes materiae fluunt, et consequenter mutant unionem ad hanc formam, ipsa autem unio non potest separari a rebus unitis, quod est signum distinctionis modalis in re.

Nec sufficit pro fundamento unionis extrinseca denominatio, vel connotatio aliqua formae erga materiam: tum quia materia et forma non causant per extrinsecas denominationes et connotationes, causant autem per unionem: tum denique, quia in mysterio Incarnationis non potest verificari, quod sola extrinseca denominatione natura humana uniatur Verbo, cum realiter et intrinsece illi uniat, ut dicitur in Concilio Ephesino, in tertio anathematismo Cyrilli, siquidem realiter humanitas pendet a Verbo.

Tertium fundamentum est, quia omnis actio, et mutatio de novo facta petit aliquem terminum de novo productum, sed aliquando ipsa entitas extremorum non producit de novo, et tamen de novo uniantur; ergo illa unio est aliquid de novo productum, et non solum relatio, quia ad istam non datur immediate motus, ergo ad aliquid præter relationem. Exempla sunt in resurrectione, in qua fit nova unio anime ad materiam non produeta entitate anime, nec materiae. Secundo, in Incarnatione quæ est vera et realis actio non factiva humanitatis, sed unitiva, et tamen mutat intrinsece ipsam humanitatem, siquidem excludit et consumit in illa propria subsistentiam; ergo importat mo-

dum aliquem positivum destruendum proprium modum subsistentiam, et terminantem naturam in Verbo, quæ mutatio non consistit in sola negatione, seu ablatione propriæ personalitatis, quia sola ista negatio non inducit connexionem cum Persona Divina, nec magis cum Persona rationali diversæ partes materiae fluunt, et consequenter mutant unionem ad hanc formam, ipsa autem unio non potest separari a rebus unitis, quod est signum distinctionis modalis in re.

Nihilominus sententia D. Thomæ non agnoscit modum aliquem unionis, qui sit medium seu forma constituens extrema unita, præter actionem, et passionem immutantem, seu reddentem extremum dependens ab alio, et relationem inde resultantem, quæ tamen non est medium causans unionem, sed consequens ipsam conjunctionem extremorum. De hac sententia vide Cajetanum III part. quæst. II, art. VII. §. In hoc articulo cautissime et art. X. In responsione ad primum et ibi Thomistas interpretes D. Thomæ. Nobis sufficit duo loca S. Thomæ ponderare. Primus est, in tertio ad Annibaldum, distinct. V, quæstione unica, art. III, ubi inquit: « Quod unio tripliciter accipi potest. Uno modo prout unio est idem quod unio. Alio modo prout unio est passio, et sic est quædam naturæ assumptæ dependentia ad assumptam. Tertio modo, et proprie unio est relatio consequens hujusmodi actionem et passionem, et sic est quædam comparatio, vel habitudo unitorum. » Ubi nihil istorum est modus aliquis absolutus, quo formaliter fiat conjunctio, tanquam medium uniente, et causante ipsam conjunctionem.

Secundus locus est in tertio, distinct. II, quæst. II, art. II, quæst. III, ubi inquit: « Quod inter humanam na-

turam et Divinam, est necesse cadere unionem mediam non sicut causam, sed sicut effectum consequentem. » Et subdit : « Unde unio est medium non sicut assumptionem causans, sed sicut eam consequens. » Ubi D. Thomas non solum excludit medium, quod sit realitas, et habeat vim extremi, sed etiam qui sit modus et formalis ratio uniens; tum quia absolute omne medium excludit; tum quia dicit unionem non esse ut causam, sed ut effectum consequentem. Ergo cui concedit esse effectum negat esse causam, sed esse effectum consequentem non conceditur realitati alicui consecuta: talis enim realitas consecuta, quæ sit unio non datur, ergo quando negat esse causam non solum id negat realitati, sed modo. Et denique videri potest S. Doctor 1 p. q. LXXVI, art. IV et questione de spiritu, creat. art. III et quæst. de Anima, art. IX, in corpore et 1 Metaph. lectione ultima in fine, ut infra citabitur.

Nec obstat, quod D. Thomas 1 p. quæst. LXXVI, art. I ad sextum, dicit animam separatam inclinari ad unionem cum materia, sicut leve inclinatur ad locum sursum, locus autem sursum habetur per modum, qui est ubi, ergo et unio per aliquem modum superadditum habetur. Non, inquam, obstat, quia in ipsomet argumento supponit D. Thomas et admittit formam secundum se, et non per aliquod accidens uniri materia, unde non comparat unionem, et locum in eo, quod sint modi superadditi vel non, sed in eo quod sunt terminus et status, qui a corpore levi appetitur, et ab anima.

Fundamentum autem hujus sententiæ est, quia iste modus unionis, vel est ipsa ratio formalis, quæ extrema sunt unibilia, vel qua redduntur formaliter unum in actu ex

vi suæ communicationis, vel est ipsa applicatio extremorum coordinans unum extremum alteri, vel denique est aliquid resultans ex tali applicatione et coordinatione. Hoc ultimum incidit in nostram sententiam, quia sic ille modus est consequens ipsam conjunctionem, seu applicationem extremorum non causans illam ut medium. Primum autem dici non potest, quia unio supponit extremum esse unibile, non unibile constituit. Et constat, quod forma per seipsam intrinsece et essentialiter est actus respiciens materiam, et materia respiciens formam, ergo se ipsis, et non per modum superadditum habent totum fundamentum et capacitatem communicabilitatis, quæ est actus et potentia, nec enim per modum superadditum forma constituitur magis actus, vel materia magis potentia, ergo se ipsis habent rationem unibilis, seu coaptationis ad unendum, non per modum superadditum. Si dicatur secundum, constat manifeste, quod extrema non redduntur unum mediante modo superaddito tanquam ratione formali hujus unitatis, quia materia et forma non constituunt unum unitate modali, sed unitate realitatis substantialiæ, ita quod unitas ipsa, in qua conveniunt, est illud, in quo communicant, et unum fiunt; communicant autem in esse formali substantiali, et in unitate realitatis substantiali, quæ ex illius partibus resultat; ergo ratio formalis hujus unitatis extremorum non est modus superadditus, sed substantialis ratio. Et magis hoc constat, quia unitas sequitur ens, non modum entis, ergo ratio formalis unitatis, in qua conveniunt extrema, non est modus superadditus substantialiæ sed substantia ipsa, quæ ab entitate partium non distinguitur, et sicut partes se ipsis sunt partes, ita se ipsis

unum in substantia entitative fiunt. Restat ergo tertium, scilicet quod ille modus sit applicatio extremorum ad unum, in quo communicant, vel conveniunt unibilia. Hæc autem applicatio necessario dicitur ordinem ad causam applicantem, et sic vel sumitur active ex parte causæ applicantis, vel passive ex parte extremorum, quæ passive applicantur, et immutantur ad communicandum se. Et sic fatemur, quod datur unio non tanquam medium formaliter interjectum inter extrema formaliter causans rationem uniti, sed tanquam actio vel passio ex agente proveniens, quæ in ipso fieri est motus tendens ad istam mutationem unionis, et in facto esse est terminus resultans ex extremis unitis, in quo communicant et fiunt unum ipsa extrema.

Quod si dicas: Quod in ipso extremo, vel extremis quæ uniuntur, debet aliquid permanentiter manere præter ipsum fieri actionis et passionis, in quo fundetur relatio illa unionis, quæ permanet, et hoc erit aliquis modus superadditus, respondetur, id quod relinquitur ex tali actione applicante unibilia, non esse modum unionis, qui formaliter reddat unum; id enim dicitur formaliter unio, quod formaliter extrema constituit unum, seu trahit ad unum ex multis, sed est modus passionis, quo ab agente aliquid in facto esse immutatur et patitur a forma, et distinguitur a modo unionis, quia unio tantum respicit extrema, ut formaliter illa ad unitatem, et communicationem redigens; passio vero respicit agens a quo immutatur aliquid, sicut etiam agens et passum indigent applicatione seu approximatione, ut sequatur operatio, quæ distincta immutatio est ab operatione ipsa. Ipsa ergo communicatio constituens unitatem extremorum, sive hoc fiat per

mutuam dependentiam eorum, sive per alterius tantum, non fit per modum superadditum, sed forma communicat per seipsam, et materia recipit per seipsam immediate, et in tali unitate vel communicatione formaliter fundatur relatio unionis, quia tamen est facta de novo ista communicatio, requirit actionem, ex qua sequatur passio seu immutatio ad unionem, de quo latius quæst. X agendo de causa formali.

Quare D. Thomas VIII Metaph. lectione ultima in fine docet ex Philosopho: « Quod aliqui antiqui errabant inquirendo, quid faciat unum potentiam et actum, quasi oporteret eas colligari per aliquod unum medium, sicut ea quæ sunt diversa secundum actum. » Et subdit: « Quod non oportet ea uniri per aliquod vinculum, sicut ea quæ sunt penitus diversa: unde nulla est causa faciens unum ea, quæ sunt composita ex materia et forma, nisi quod movet potentiam in actum. » Sic D. Thomas, Nec potest dici, quod solum negat vinculum, quod sit medium uniens ut *quod*, et ut res, non uniens, ut *quo*, et ut modus. Nam contra hoc est, quia vel hoc medium uniens ut *quo*, et ut modum agnovit D. Thomas et Philosophus, vel non. Si non agnovit, neque affirmavit aut admisit; si agnovit, ergo fuit diminutus solum negando vinculum uniens ut *quod*, et ut res, et non explicando vinculum quod est modus, cum etiam immutationem ad unendum requisitam explicasset, et causam efficientem quæ movet ad unendum. Et præterea, quia vinculum uniens ut res, et ut *quod* est extremum proxime unibile, non solum forma, seu ratio uniens sicut patet in his, quæ sunt diversa secundum actum, quæ D. Thomas concedit uniri per medium, id est, per aliquam realitatem, quæ etiam unitur, ut filium quo unum

assuitur alteri. Si ergo D. Thomas inquirens, quid faciat unum tanquam medium, solum negat illud vinculum, quod est extremum seu immediate unibile, restabat explicare præcipuum punctum, scilicet quid sit uniens tanquam medium formale, quod si non fecit, fuit diminutus.

Ad primum fundamentum in contrarium respondetur inhærentiam accidentis, non esse solam ejus unionem, sed unionem cum tali modo, scilicet reddens ejus esse sustentatum, et dependens a substantia, quod opponitur modo subsistendi, qui convenit substantiæ totali, ut habenti illum, partibus autem ut principiis subsistendi. Itaque unio ex suo conceptu solum importat communicationem in unitate, subsistentia autem, et inhærentia ultra hoc important modos habendi hanc unitatem et esse, scilicet ut adjacens et sustentatum in altero, vel ut subsistens et substans in se.

Ad confirmationem, dicitur amplius infra quæstione xi, agendo de causalitatibus materiæ et formæ. Interim sufficit advertere, quod sola unio secundum conceptum unionis non potest esse causalitas materiæ et formæ, quia unio dicit relationem æquiparantiæ in utroque extremo, utrumque enim denominatur unitum et præcise importat communicationem in unitate. Causalitas autem materiæ et formæ non est æquiparantiæ, aliter enim causat materia aliter forma, aliquid ergo addunt supra rationem unionis et uniti. Unde unio fundatur in aliqua immutatione et dependentia, saltem unius extremi ab altero, in cujus unitatem asciscitur. Causalitas autem formæ, vel materiæ, ut causalitas, non est dependentia, sed potius ratio ut causatum dependeat a tali causa, non ergo est sola unio, licet illam requiratur ad causandum; causatur

enim compositum, quod est unum, et requirat partium unionem. Quid sint autem illæ causalitates materiæ et formæ, dicemus loc. cit.

Quod si dicas: Nam bene stat formam uniri et non recipi seu dependere, ut patet in anima rationali, quæ unitur corpori, et non pendet ab illo, et Verbum Divinum unitur humanitati, a qua non pendet, ergo unio non fundatur in dependentia, nec illam ex suo formali conceptu includit. Alioquin cum immutatio illa seu passio et dependentia aliquid accidentale sit, unio fundata super illam accidentalis erit, non substantialis. De hoc argumento dicemus latius infra q. xi. Sed interim dicimus, quod unio non petit dependentiam et immutationem in utroque extremo, sed sufficit in altero tantum, quod est subjectum unionis realiter, et immutatur ad unionem. Et sic Verbum unitur humanitati, non ut subjectum unionis, sed ut terminus, humanitas autem ut subjectum immutatum ad unionem cum Verbo. Anima etiam rationalis non unitur ut dependens in esse, et per immutationem sui ad esse, sed ut dependens informare; et in habendo statum proprium, qui est status formæ, et quoad hoc perficitur per unionem; et potest dici, quod immutatur et dependet a materia non in esse, sed in statu essendi. Omnis autem unio quæ realiter in aliquo est, et tendit ad unitatem per dependentiam seu immutationem extremi, vel extremorum, dicit receptionem ex parte materiæ, et dependentiam aliquam. Quod vero fundatur in passione, seu mutatione nova, non tollit, quod unio substantialis sit, eo quod licet actio ipsa in se accidens sit, et de prædicamento actionis, sicut unio de prædicamento relationis, sed substantiales dicuntur ratione termini ad quem tendunt, scilicet ad unitatem substan-

tialem faciendam, et communicationem substantialem in extremis.

Ad secundum fundamentum respondetur ex dictis, quod unio in materia et forma est aliquid accidentale quasi prædicabiliter, non quasi prædicamentaliter, est enim contingens et extra conceptum materiæ, et formæ, quod de facto uniantur, licet se ipsis, et non medio accidente prædicamentali superaddito uniantur, sed tamen dicitur unio hæc accidere materiæ, et formæ et contingenter se habere, tum ratione præsuppositi, quod est actio et passio applicans et immutans ad communicationem unitatis ipsa extrema, quæ applicatio intelligitur ipsis extremis supervenire, seu accidere, tum ratione consecuti scilicet relationis, quæ etiam accidit ipsis extremis, cum non sit prædicatum essentiale, sed accidentale, ipsa tamen ratio formalis, quæ uniantur extrema, est ipsa eorum entitas, ut ad communicationem unitatis applicata. Et ipsa unio dicitur educi ex subjecto, eo modo, quo relatio, vel immutatio ipsa passiva dicitur educi, non quia ipsa ratio formalis, in qua fit unitas tanquam quid distinctum a forma, vel materia, educatur.

Ad alteram partem argumenti, quod unio non sit extrinseca denominatio, respondetur, verissimum esse, quod unio realis et intrinseca, denominatio est saltem in illo extremo, quod redditur immutatum, nam si alterum extremum non dependet, in illo non erit relatio realis, ut in Verbo Divino, quod dicitur unitum humanitati non per relationem realem, sed rationis. Unde ex parte Verbi non est fundamentum ad realem relationem, quia licet Verbum se ipso immediate terminet, et reddat subsistentem humanitatem, tamen quia tota immutatio est ex par-

te humanitatis, et ratio formalis uniendi et communicandi non est fundamentum relationis, nisi ad adjuncta immutatione, ut dictum est, ideo ex parte Verbi non datur fundamentum realis unionis.

Ad tertium fundamentum respondetur, omnem actionem habere terminum de novo, sed non simpliciter productum, sufficit enim quod sit de novo immutatum, vel unitum, vel communicatum; sic enim etiam verificatur, quod per actionem unitivam ponitur aliquid in esse, quod ante non erat; ponitur enim ipsa nova communicatio extremorum, quæ antea non erat, licet ipsa extrema essent, et similiter ponitur nova relatio, et nova immutatio extremi, vel extremorum ad se communicandum, non tamen requiritur, quod produceretur novus modus, qui sit medium inter ipsa extrema, ut formaliter uniens.

Nec exempla allata in argumento aliquid amplius probant, quia in resurrectione nec anima, nec corpus producuntur, nec modus aliquis medians inter animam et corpus, et causans unionem, sed fit de novo ipsa communicatio animæ et corporis, quæ quantum ad rationem formalem constat ipsa entitate extremorum unitatem faciente, et quantum ad conditionem constat applicatione et immutatione passiva extremi vel extremorum, et quantum ad consecutionem constat relatione unionis, quæ de novo fit, non quia ad relationem datur per se actio, sed datur ad fundamentum relationis, quod est ipsum extremum non ut productum, sed ut tractum et immutatum ad communicationem cum altero. In Incarnatione similiter fit aliquid de novo, scilicet ista unio extremorum non per productionem novi modi, qui sit forma uniens, sed per immutationem humanitatis ad Personam Verbi, quæ

immutatio cum fiat ad determinatam Personam Divinam, importat ordinem ad ipsam potius quam ad aliam Personam. Quid sit autem ista immutatio ante solutionem argumentorum explicatum est. Nec subsistentia creata expellitur, vel consumitur per ipsam unionem formaliter, sed per id quod subrogatur loco subsistentiæ creatæ, et reddit subsistentem humanitatem in aliena persona, et hæc est subsistentia Divina unita, non ipsa unio.

Corollaria ex dictis.

Ex dictis solum manet argumentum, quod proponi solet, quia materia et forma sine unione non constituunt compositum, ergo unio est aliquid præter materiam et formam, hoc enim est, quod de novo fit et producit per generationem: respondetur enim concedendo antecedens, et distinguendo consequens, est aliquid unio præter materiam et formam tanquam ratio formalis communicans extrema, et reducens illa ad unitatem, nego; tanquam applicatio et mutatio extremorum, ut fiat ista communicatio et consequatur relatio, concedo. Id autem quod fit per generationem tanquam terminus totalis est ipsum compositum, tanquam formalis terminus est ipsa forma, vel ut educta, vel ut communicata materiæ, et tanquam conditio ad istam communicationem requisita, est ipsa applicatio et immutatio extremi ex actione unitiva relicta, quæ in facto esse et permanentem non est inconveniens, quod sit modus passionis, ut supra diximus, non formaliter uniens, seu formaliter applicatum relinquens extremum, ut recipiat, vel actuet alterum, cum dependenter informat.

Secundo colligitur, quod absolute

sufficit unica unio, ut dicantur duo extrema unica, unum tanquam subjectum, alterum tanquam terminus, eo quod sufficit unica immutatio in altero extremo facta, imo unica relatio inde consecuta, ut dicantur duo extrema unita, ut in unione hypostatica, quæ in relatione consistit consecuta ad immutationem humanitatis, qua trahitur ad Personam Divinam, et subjectata in ipsa: in hoc enim ponitur unio a D. Thoma III, part. q. II, art. VII et VIII et in III, dist. V, q. I, art. I et ibidem ad Annibaldum, questione unica, art. III. Cæterum quia contingit communicationem, seu unionem extremorum fieri per immutationem utriusque extremi, et relationem mutuam: relatio enim unionis in creaturis mutua est, et æquiparantæ, ut S. Thomas docet citatis locis ex III Sentent. ideo ut talia extrema uniantur non absolute, sed unione mutue relationis, requiritur duplex relatio unionis fundata in duplici illa immutatione. Similiter ex parte formalis rationis unionis, quæ est communicatio extremorum facta non per modum superadditum, sed se ipsis immediate, manifestum est sufficere communicationem realem ex parte unius extremi immutans ipsum extremum, et de novo illi conveniens, ad hoc ut absolute detur unio, ut patet in unione hypostatica; ut autem unio sit mutua, et per communicationem mutuam facta, duplex requiritur communicatio, quia utrumque extremum realiter se communicat immutatione reali subjectata in se, ut patet cum materia et forma uniantur diversa communicatione, quæ in materia est receptio, in forma actuatio.

Et si istes: Quod Verbum per illam unionem redditur realiter unitum, respondetur quod ibi non est relatio mutua realis, neque immu-

tatio, vel communicatio de novo immutans, nisi tantum ex parte humanitatis, et tamen dicitur Verbum realiter unitum humanitati, non realiter subjective, sed realiter terminative, quia relatio humanitatis ad illum terminatur, sicut eadem ratione dicitur Christus realiter filius Virginis, quia terminat relationem realem matris ad se, ut S. Thomas docet III p. q. xxxv, art. v. Si vero inietur de puncto uniendas partes in continuo realiter, et tamen unicum sufficit ad duas partes uniendas, respondetur quod indivisibile illud non est ipsa unio formaliter, sed constituens partem unibilem, secundum extremitatem tantum, et non se tota; unde magis pertinet ad modum unibilitatis utriusque extremi modo quantitativo, quam ad actualem unionem, et sic tale indivisibile est unicum inter duo extrema, non quia utrique inhæreat, sed quia inhærendo uni parti, altera pars, quæ sibi copulatur, solum in illa extremitate copulatur, et non totam partem intrat, et sic consurgit continuum; si vero in utraque parte sit indivisibile terminans, non copulatur pars extremitati, sed extremitas unius extremitati alterius, quod est esse contiguum; de quo plura q. xxxii.

Et si quæretur de subjecto istius unionis, sive sit mutua, sive non quodnam sit assignandum absolute et simpliciter, respondetur istam relationem, et immutationem esse subjective in ipsis partibus, seu extremis, quæ uniantur, sicut immutatio ipsa convenit extremis unibilibus; relatio autem quæ in tali mutatione fundatur, fundamentum ipsum modificat, et mediante fundamento subjectum. Et quidem in opinione, quæ ponit accidentia subjectari in sola materia vel forma, nulla est difficultas, quod in ipsis subjective sit unio. In opinione autem,

quæ ponit accidentia subjectari solum in composito tanquam in subjecto *quod*, a quo habent esse et sustentationem, esse autem solum convenit toti, dicendum est, quod illæ relationes, et immutationes sunt in illis partibus, ut in subjecto *quo*, dependenter autem ab esse totius, ut a subjecto *quod*, sicut visio est in oculo, et mediante ipso in toto, nec tamen ipsum totum denominatur unitum etiam ut *quod*, sed sustentans et habens unionem partium, quia ista denominatio uniti non est denominatio subjecti sustentantis, sed extremi unibilis, et ipsa unione se communicantis; totum autem quod resultat, dicitur constitutum ex unione, non autem unitum. Sed de hoc latius agemus in libris de gener. In accidentibus autem unio, et inhærentia est modus ipsam eorum realitatem modificans, sed sicut realitas eorum habet esse a subjecto, ita et relatio unionis eorum.

Quæ si quæras: Quomodo anima rationalis immutetur per unionem in se receptam, cum ipsa spiritualis sit, et independens a materia, respondetur, animam esse independentem in suo esse a materia, et sic non unitur propter existentiam, sed tamen unitur propter connaturalem modum essendi et operandi, quem habet in materia, cum naturaliter sit forma corporis, et sic acquirit modum seu statum peculiarem ex eo, quod est in materia quatenus informat illam, et actual, et in se perficitur ad operandum, non separatim a corpore, sed cum ipso et in ipso; iste autem modus seu immutatio ipsius animæ ad corpus, est aliquid spirituale in anima subjective in ipsa, producitque effective a Deo infundente animam corpori, vel reuniente per resurrectionem, nec enim sine habitudine ad corpus, et infusione in illo, ipsam creat, quæ habitudo in ea sub-

jectatur; a generante vero dispositive tantum, quatenus disponit materiam, ut Deus infundat formam, et in resurrectione disponentur corpora a Deo per ministerium Angelorum ut docet S. Thomas in addit. quæst. LXXVI, art. III.

QUÆSTIO VII.

DE SUBSISTENTIA ET EXISTENTIA.

Isti modi non pertinent ad constitutionem naturæ, sed constitutæ adveniunt, pertinent autem ad ipsum totum, et ideo de illis agimus post ipsum totum, et constitutionem ejus.

ARTICULUS PRIMUS.

Quid sit subsistentia conveniens ipsi composito?

Inter proprietates, seu proprios modos, qui conveniunt naturæ substantiali, unus est subsistentia, proprium enim totius compositi est *subsistere, fieri, et existere*, ut colligitur ex D. Thoma, I part. q. XLV. artic. IV. De subsistentia ergo proprie pertinet agere ad Metaphysicum. Breviter tamen in præsentia, ut explicetur plenius quidquid pertinet ad rationem compositi naturalis, de subsistentia solum duo attingemus, scilicet quid sit subsistentia, et utrum conveniat indivisibiliter substantiæ totali, an etiam partialiter conveniat partibus, ex quibus totalis subsistentia resultat.

Circa explicationem primæ difficultatis supponendum est, quod præter singularitatem naturæ substantialis datur in illa aliquid, quod vocamus subsistentiam, ut advertit D. Thomas in III, dist. II, q. II, art. I, quæstiuncula III ad 2, et constat in

mysterio Incarnationis, in quo assumpta est humanitas singularis, et tamen assumpta est sine subsistentia; unde pertinet subsistentia ad complementum, quo natura singularis redditur incommunicabilis ulteriori termino, et subjecta vel sustentans alia prædicata, sive accidentalia, sive substantialia: unde dicitur subsistens quasi sistens esse sub alio; in eo enim quod est sistens quasi incommunicabilis importatur, quod enim non transit ad alterum, nec communicatur alteri, dicitur sistere in se: ex eo autem quod sub aliis sistit, importatur ratio substantiæ primæ, seu suppositi, aut subjecti, quia subjicitur prædicatis superioribus, et accidentibus, quæ sustentat, et sub quibus est tantquam sustentativum illorum, quod proprium est primæ substantiæ, et hoc ipsum quod dicitur *subsistens*, seu *suppositum*, Græci vocant *hypostasim*, id est, sub aliis stans, et Latini *substans*, vel *subsistens*. Quod si hoc fiat in natura rationali, dicitur *persona*, de quo plura diximus in II p. Logicæ, q. XV, art. I.

Quod si quæras: Ex quo principio deducitur debere poni hanc subsistentiam tanquam aliquid distinctum a natura substantiali, et singularitate ejus, respondetur aliquos existimare solum id posse deduci ex mysterio Incarnationis, in quo fatetur fides integram naturam humanam esse assumptam sine personalitate. Cæterum D. Thomas etiam ex naturalibus principiis aliter investigari posse docet distinctionem hanc inter subsistentiam, et naturam, ut constat ex III p. q. II, art. II, et I p. q. III, ar. III, et opusc. XLVIII, tractat. de Substantia, cap. II, et quodl. II, art. IV, et aliis locis, quia videlicet invenimus substantias creatas etiam immateriales esse capaces accidentium realium, quæ ita illis inhereant, ut non mis-

ceantur earum naturæ, sed inconfusæ permaneant, unumquodque in sua quidditate, ergo necesse est, quod uniantur naturæ non sub conceptu naturæ, sic enim pertinerent ad rationem naturæ, vel constituendo ipsam, vel constituendo cum ipsa aliquid tertium, illi autem entitati, quæ tantum importat rationem naturæ, secundum conceptum naturæ, seu id quo aliquid est tale, v. g. id quo homo est homo (hoc enim est natura) non potest ipsi entitati sic acceptæ ut *quo* aliquid uniri, nisi ut mixtum cum ipsa natura, et ad rationem naturæ pertinens, quia si conceptus naturæ est præcise, id quo aliquid est tale, v. g. homo, quidquid ergo in illo conceptu unitur, aut ad ipsam naturam pertinet, aut ille conceptus habet aliquid amplius quam solam naturam. Exigit ergo aliquid præter purum conceptum et rationem naturæ, quo reddat illam ut subjectum *quod*, respectu eorum quæ sunt extrinseca naturæ, et tamen impermixtæ cum ipsa uniantur, et non ut pertinentia ad rationem naturæ. Et inde est, quod non potest subsistentia pertinere ad gradum naturæ, quia gradus non uniantur extra constitutum naturæ, sed ad constituendum ipsam, et ideo quod se habet ut gradus, non est extra constitutum naturæ. Et præterea, ipsum suppositum supponit naturam cum omni gradu etiam singularitatis, siquidem omnes isti gradus sine subsistentia inveniuntur in humanitate Christi.

Sed dices: Persona Divina suscipit externam naturam, scilicet humanam, et tamen non distinguitur a natura ipsa Dei; ergo fundamentum positum non subsistit. Respondetur, quod nihil in Deo suscipitur, quod non sit ejus natura, nec enim est capax accidentis, quod recipitur per potentialitatem recipientis, et ideo in eo non est distinguere perso-

nam a natura respectu eorum quæ in se habet. Respectu vero naturæ create, quam terminat sine permixtione Divinæ naturæ, non requiritur quod persona distincta sit a natura Divina, quia per hoc nihil immutatur persona, nec recipit aliquid, sed sufficit distingui a natura creata, quæ sola immutatur in hac terminatione, non Divina.

Sed instabis: Quomodo ergo natura suscipit propriam subsistentiam tanquam distinctam a se, si ad suscipiendum ea, quæ sunt extra constitutum naturæ, dicimus indigere subsistentia tanquam distincta? Respondetur quod natura non suscipit subsistentiam, sed potius terminatur, et suscipitur in illa, ipsum enim suppositum, seu prima substantia substatur subjecit, tam secundis substantiis, quæ sunt prædicata constitutiva naturæ, quam accidentibus, quæ extrinseca sunt naturæ, et utraque suscipit sine permixtione inter se.

His suppositis, dubium est, an ista subsistentia addat aliquid positivum supra naturam, quam reddit subsistentem. In hoc non omnino convenit inter Auctores, nam aliqui existimant non addere super naturam aliquid positivum, sed negationem quamdam, quam aliqui explicant per negationem divisionis, eo quod suppositum dicit quoddam totum integrum et unum. Alii per negationem dependentiæ actualis ab aliquo in quo sit. Alii per duas negationes, scilicet dependentiæ actualis, et aptitudinalis, eo quod natura sic subsistens nec dependet ab aliquo, nec dependere potest, habet enim negationem unionis hypostaticæ. Quæ sententia est Scoti in III, dist. I, q. I, §. Ideo propter istum; et præcipue in §. Non asserendo, ubi ponit negationem actualis dependentiæ non sufficere, ut aliqua substantia dicatur persona, alias anima